



**P**etrus Treueris ex tenuis fortunæ familia, quæ Raichspalt dicebatur, natus fuit. Hunc parentes ob præclaram indolem literis destinarunt. eum cum ad tempus aluissent, atque ob rei familiaris inopiam sustentare amplius non possent, adhortati sunt, ut aliò se conferret, atq; canendo ostiatim panem quæreretur, donec liberalibus artibus instructus, pueros instituere, atque sibi uictum comparare posset. Id quod ipse gnauiter perfecit. In primis autem philosophiæ naturali, atque Medico studio operam dedit. Itaque ob crebras uigilias, et diligentem authorum lectionem Medicinæ Doctor creatus est. Postea uerò speculationi Praxim

coniunxit, atque morbis curandis sibi magnum nomen comparauit. Cum ergo in patriam reuersus esset, Henricus comes Litzelburgensis, qui postea Cæsar electus fuit, eum in Medicum suum asciuit. Eam professionem cum magna diligentia administraret, principi charissimus extitit, ita ut etiam ad alia consilia ob prudentiam admitteretur. Accidit eo tempore, Anno millesimo trecētesimo quarto, ut Gerhardus Moguntinus antistes moreret. Itaq; Henricus eum Legatum ad Clementem pontificem misit, ut fratri suo Balduino eam Ecclesiam regendam impetraret. eam legationem Petrus suscepit, & magna dexteritate expediuit.